



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quest. 1. Cur loquatur in parabolis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

VERSUS 10. & 13.

Et accedentes discipuli dixerunt ei:
Quare in parabolis loqueris eis?
Ideo in parabolis loquor eis: quia
videntes non vident; & audien-
tes non audiunt, neque intelli-
gunt.

QVÆSTIO I.

Cur loquatur in parabolis?

§. 1. Nitro cum de parabolis agerem, dixi eas vim habere monendi, & elucidandi. Itaque nisi Dominus causam cur ita loquatur aperuisset, claritatis & doctrinæ gratia parabolis adhibitas suspicari quispam posset. Verum Christus ideo se ita loqui asscit, ut videntes non intelligant. Discipuli enim cum ipsi parabolam non intelligerent, viderent etiam turbam attonitam potius, quam dicta capientem, communem causam egerunt, & cur in parabolis loqueretur, quæstionem fecerunt. Consultum igitur & sibi, & populo volebant. Verum notum est parabolis esse quasdam difficiles, quæ non exponuntur, alias faciles, si similitudo rei accomodetur, de qua agitur. Hæc parabola, & zizaniorum eiusmodi erant, ut sine expositione non intelligerentur. Quasdam alias exposuit, & respondent se omnia intellexisse auditores. Has autem non intellexerunt, quia attendere noluerunt; quia etiam postquam intellexissent, contemnere parati erant. Vitium obscuritatis non est Christi verbis, quæ explicaturus erat, idoneis auditoribus, sed in animis auditorum animalium, monita spiritalia fastidientium.

VERSUS II.

Qui respondens, ait illis, Quia vobis
datum est nosse mysteria regni cæ-
lorum: illis autem non est da-
tum.

QVÆSTIO I.

Cur datum Apostolis non aliis?

§. 1. Quidam interpretantur ideo datum Apostolis, quia electi, non datum aliis, quia reprobis. Hoc quidem loco illud dici non potest: Iudæ datum est, quod & cæteris, ne tamen ille misericordia electus est, secundum propositum; Et aliqui in grandi illa turba fuerant, qui honesto & bono corde semen fructificaturum exceperunt: itaque cuidam non electo mysteria explicata sunt, aliis electis ad tempus negata expositio. De quibus vere Chrysostomus dixit: Noluisset eis tunc dare, ut postea pulsantibus, & orantibus daretur.

§. 2. Deinde causam subiicit, cur illis explicet, aliis minime; quia habenti dabitur, non habenti & illud quod habet auferetur. Habebant igitur aliquid Apostoli, ut plura daret, carebant aliqui, propter quod etiam illud quod habebant auferatur. Non agitur hic de prima omnino gratia, sed maiore eius abundantia. Nam in prima danda, aut cur huic det illi neget, non potest ratio inueniri, sed sola eius scilicet beneplacitum operatur, & miseretur cuius vult: cum vero iam prima gratia bene accepta est, eaque benetur, quæ tamen & ipsa gratia est, iam ex fidelitate promittentis, alia etiam gratia datur, & iustitia auge-

tur. Nec hoc loco prædestinationem suam Calviniani magnopere vident. Alias enim causas inueniunt: cur sit negatum turbis: Beza: [Mysteria vero dici minime; non quæ in Ecclesia sua Deus quibusuis parere velit, sed quæ soli Ecclesiæ suæ patefaciat Filius, cæteros iusto suo iudicio deferens in tenebris: & præsertim hoc iudicium (ut ex hoc loco apparet) in eos electos qui Dei beneficium sunt pertinaciter aspernati.]

Aretius quoque in discrimen auditorum confert. Rationem ait esse gravem, & evidentem, quia necesse hoc requirat, ut discrimen doctrinæ, quale est in auditoribus, Deum vero improbos perterrefacere, cum perspicunt seuerum Dei iudicium contra ingratitudinem, & pertinaciam suam. Culpæ, inquit idem Aretius, non seminis, sed animi audientis. De eo negotio, & altissimo Dei consilio Augustinus de gratia & libero arbitrio ad Valentinum. c. 22. Cuius, inquit, vult miseretur, & quem vult obdurat; in eo quem seduci permittit vel obdurari, mala eius merita credite; in eo vero cuius miseretur, gratiam Dei non reddunt mala pro bonis, sed bona pro malis, si deliter & indubitanter agnoscitur.

Similia de correptione & gratia. c. 5. 6. 7. & de dono persequer. c. 9. & 11. Verum ut Calvinianorum rigor paulisper emollescat, & in Deum insurgere desinat, proponam hoc loco Bullingeri, quem multæ eorum compendio describunt, enarrationem in hunc locum. Chrysostomum enim ille sequitur, & sequi profectur. [Quasi dicat, inquit, Ideo vobis datum est nosse mysteria regni cælorum, quia lumen illud vobis inditum cælitus non exstinguitis, quia fideliter indagatis veritatem, quæ vobis cordi est, quia cupitis illam vobis augeri, & quod idie fieri perspicacitorem magis ac magis. Isti vero quia veritatem parui faciunt, nihil inquirunt, donum illud sibi concessum, Domini gratia, non locupletant, imo ægre illud quod ante pedes iacet subleuant; ideo sua culpa & inertia ea etiam, quæ alioqui facis intelligibilia sunt, non intelligunt, tandem & omni gratia amissa occurrunt & indurantur. Nam habet in præfenti, qui donum Dei quantumvis exile & minutum sit, pro Dei dono agnoscit, qui modo dico illo initio bene viuit, & talento sibi credito, quo ditior reddatur, fideliter negotiatur. Huic dabitur, & reddetur habitior, abundantior, opulentior. Atque enim Dominus dona sua gratis piis & piarum rerum studiosis. Rursus non habet, qui tamen dono Dei, aliquo saltem, non destituatur, ideo tamen nihil se doni habere diuinitus concessum arbitrat, quia exile est & modicum illud quod habet. Talis inquam non agnoscit se habere, quod tamen reuera habet. Nam mox sequitur, etiam illud quod habet tolleretur ab eo. Diuina ergo bonitate donum habet Intellectus illuminationis bonæ voluntatis, &c. Et à non habente quicquam nemo abstulerit quicquam: verum non habere dicitur ingratus, quia quod habet nihil, aut quasi nihil, prorsus habeat iniquissime reputat. Culpæ ergo sua & merito suo maximo, nulla Dei morositate, difficultate aut tyannide huiusmodi homines suis relinquuntur erroribus & ignorantia crassa, recedente ab ipsis Dei Spiritu quem negligunt atque contemnunt. Non alium sensum sequitur est etiam Ioannes Chrysostomus. Homel. in Matth. 46. sic scribens, Hic locus non parua caligine obductus est, & ineffabilem diuinæ maiestatis iustitiam aperit. Huiusmodi enim est quod dicitur, Cum enim quispiam desiderat, ait, & magno studio atque cura virtutem inquirat, tunc ei ex Deo cuncta præstabitur. Cum autem nullo studio atque voluntate ad recte faciendum pronus est, tunc ei diuinum auxilium non conceditur, & quod etiam habet auferetur ab ipso. Non aufert certe Deus, sed non præbet indignis fauorem & patrocinium suum. Hoc ipsi quoque nos facitatur.